P. Bonato

DE USU MEDICO
COPHOEÆ ARABICÆ
VULGO *CAFFÈ*

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS HONORES IN MEDICINA OBTINENDOS
IN VETUSTISSIMA ET CELEBERRIMA
SCIENTIARUM UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT

ARCHINTUS TESTORI
MANTUANUS
CHIRURGIÆ DOCTOR
ET OBSTETRICIÆ MAGISTER.



VERONÆ
SOCIETATIS LITERARIÆ TYPIS
MDCCCXXXIII.

INTER AMICOS

P A T R I

D. D. D.

A U C T O R.

Principio curiositas, luxus deinceps, hodie universim diffusa consuetudo communem adeo Cophoeæ arabicæ, vulgo *Caffè*, usum reddidere, ut quidquid de ea diceretur publicæ potius Hygienis, quam medicæ materiæ argumentum nonnullis videri posset. Si enim nunc Cophoeæ jucunda potio tantummodo censetur, atque ob immodicum et habitualem usum, inutilis in morborum curatione existimatur, non ideo a pharmacorum classe substantiam hanc delendam puto. Multi quidem sunt qui, prava consuetudine ducti, liquoribus spirituosis, dum valent, ultra modum abutantur, et cum ægrotant, eos non solum fastidiunt, verum vel minima eorum dosis phœnomena excitat violentissima; id quod satis superque demonstrat, et habitudinem in naturæ legem converti, et legem hanc summopere immutari, cum morbo aliquo laboramus. Aer, alimenta, potus tamquam vitæ humanæ necessaria elementa sunt, et tamen dum morbo excruciamur, sponte repudiamus; nemo vero est inter medicos, qui ægros vel alimentis vel potu carere patiatur. Ita pariter etsi Cophoeæ potu generatim abutamur, etsi ægrotantes illum libentius recusent, non ideo dicendum est omni ipsum medica facultate destitui, de quo argumento hodierna mihi luce disserere constitui. Quod si summa animi trepidatione experimentum hoc gravissi-

mum aggredior, recreat tamen ac summopere me reficit benevolentia atque humanitas Vestra, Præceptores sapientissimi, quibus doctrinas eruditionemque meam omnem, quantulacumque pro ingenii mei imbecillitate sit, acceptam refero, et in posterum semper me relaturum fore profiteor.

Cophoea (*cophoea arabica* bot.) est arbuscula xv vel xx pedem; classis *pentandriæ monoginiæ* Linnæi; ad familiam *rubiacearum* Jussieu, *aparinearumque* Adanson pertinens. Rami ejus oppositi, nodosi, cineracei sunt, foliisque operiuntur ovatis, oblongis, ad eorum duas extremitates extenuatis, superius splendidis, pallidis inferius, quæque folia imitantur lauri nobilis seu communis, longiora tamen, minus crassa, et perpetuo viridescentia. Stipulæ interpetiolares internæ, læves hæc folia comitantur. Albi sunt flores, suavi odore, forma ad jasminum grandiflorum vel hispanicum accedentes. Quapropter nonnulli arborem cophoeæ *Jasminum arabicum* nuncupavere. Floribus *baccæ* seu *drupæ* succedunt similes cerasis, virides primo, dehinc rubræ, quæ maturando nigrescunt. *Fructus* constant his drupis vel baccis pulpa glutinosa subdulci interius repletis, quæ involucrum constituunt duabus fabulis plano-convexis, quæ plana superficie sese mutuo respiciunt. Superficies illa longitudinali sulco distinguitur. Hæ fabæ tostæ potionem suppeditant quam dicimus *Caffè,* veraque sunt semina plantæ ipsius.

Discrepant auctores inter se de loco indigeno cophoeæ. Alii in Arabiam a montibus Æthiopiæ superioris, idest abs Abyssinia transvectam fuisse arbitrantur; alii e contra et plerique translationem hujuscemodi negant, affirmantes potius ab Arabia in Abyssiniam fuisse plantam

deductam, ibique fructu longiore, crassiore, et minus olente facto degeneravisse. Nihilominus certe constat jamdiu regnum Hyemen in sinu Arabiæ felicis meridionali positum optimam omnium cophoeam produxisse.

Contenditur quoque de tempore a quo plantæ hujus semina ad jucundam et salutarem potionem fuerint accommodata. Nonnulli putant usum cophoeæ a pervetustis ætatibus procedere; Νηπένθον Helenæ quod recordatur Homerus cophoeam esse arbitrantes:

« . . . . . . *immiscet medicata in pocula succum*
Adversumque iræ et ducentem oblivia luctus.

Odyssea, lib. iv.

Tale pariter fuisse jus nigrum Lacædemonum, cophoeamque a Davidis usque temporibus innotuisse scribunt. Hisce omnibus ommissis, scimus Arabes sæculo decimoquinto plantam simul et virtutes ejus dignovisse, et nonnisi post sæculum decimumsextum semina ejus ad comparandam potionem fuisse adhibita. Viget pariter controversia de primo Arabe, qui potionem a seminibus cophoeæ exprimere excogitavit. Persæ, cum existimarent homines ad inventionem tanti momenti ineptos esse per mentis libidinem, finxerunt Arcangelum Gabrielem Mahometto cophoeam revelasse, ut eum gravi morbo recuperaret (1). Turcæ Somnites gloriam hujus inventionis tribuunt cuidam Ethæriarchæ regni Hyemen, qui edoctus a famulo capellas, postquam baccas cophoeæ comedissent, fieri vigilantiores et magis magisque solertes, quin ullam paterentur molestiam, infusionem ejus delibare voluit, et quum sapido gustu præditam, digestioni

(1) Dizionario delle scienze mediche.

utilem, atque ad vigiliam ciendam aptam reperiisset, monachis suis omni vespere illam sumendam persuasit, ne inter nocturnas preces somno vincerentur.

Usus cophoeæ diu in cœnobio non latuit. Monachi ad eam experiendam alios invitaverunt; potio nova omnibus accepta fuit, etiamsi vigilare cujusdam non interesset. Per universam Arabiam consuetudo diffusa est, et præsertim ubi advenæ essent frequentiores, sicuti Mecha et Metymna, unde peregrini per totum Orientem illam propagaverunt. Summo cum gaudio a Mahomettanis fuit recepta, quippe qui vino a lege vetito debent abstinere, etiam quod mœrorem, quo natura præoccupantur, viderent temperari. Crescente vero de die in diem cophoeæ fama, mercatores non defuere, qui semina coementes huc illuc exportarent. Ubique et præcipue Byzantii publicæ officinæ in quibus liquor novus elaborabatur institutæ sunt. Innumera hominum ibi frequentia fuit, et cantus poetæ, scurræ nugas edebant, tædio liberabantur desidiosi, politici de publicis rebus disserebant. Europei negotiatores, qui Orientis portus adibant, libenter hanc potionem degustaverunt, atque in patriam redeuntes ejusdem copiam civibus fecerunt. Galli, novarum rerum semper studiosissimi, primi in has occidentales plagas usum cophoeæ receperunt. Armenius quidam in medio Parisiorum splendidam officinam erexit, ex qua magnam sibi utilitatem et lucrum comparavit. Alteram paulo post instituit Londini, ubi Anglus, ad silentium inclinis, multam diei noctisque partem degebat; hinc in Septentrionem consuetudo trajecit, et Dani, Sueci, Poloni, Russii cophoeam vilibus potionibus illico præposuerunt. Gallia, Germaniam, Italiam, Hyspanias gustus illius participes

fecit, et cum res luxuries ab initio est habita, statim et præsertim apud opulentos necessaria facta est. Hinc aucta mercatorum industria est. Et quoniam longum erat iter et sumptuosum, ut de Moka et Adeni regione cophoeæ semina ad nos transferrentur, plurimaque iis loca carerent; Batavi commercii solliciti plantam cophoeæ ex Arabia in proprias ditiones transtulerunt, et cito coloniæ Giava, Surinæ, Essequo, Demerari in America cophoeæ ditissimæ factæ sunt. Hortus botanicus Amstelodamensis primam cophoeæ plantam aluit. Lodovicus XIV, cum Utrajecti de pace componenda inter Reges potentissimos ageretur, parvula cophoeæ planta ab Amstelodamensium Magistratu donatus est, quam ipse postea Lutetia Parisiorum coli mandavit (1).

Quibus præpositis ad historiam plantæ pertinentibus ad quamnam videlicet vegetabilium classem spectet, qua donetur patria, et quomodo nationibus omnibus innotuerit, animum nunc ad facultates ejusdem convertere opus est, et ad classem ipsi adscribendam in systematica substantiarum therapeuticarum methodo. Eorum exemplo, qui de materia medica disseruerunt, spe teneor fore ut indicatum scopum attingam.

A. Familia cui pertinet planta in systematibus botanicis criterium quoddam suppeditabit quo analogice aliqua ejus generalis proprietas deduci possit.

(1) Etsi Cophoea Zonæ torridæ sit indigena, nimium tamen calorem non amat. In tepidariis Pisarum et horti botanici Patavini vegeta serbatur tempore æstivo in temperatura gr. XIV.° Reaumur. Hinc difficile non esset cophoeam germinare in insulis Mediterranei maris ubi æstus etiam noctu sunt valde ferventes.

B. Analysis chemica nobis principia ostendet quæ semini cophoeæ insunt, et mutationes a combustione seminibus ipsis illatas operiet, eorumque naturam docebit.

C. Actio hujus plantæ in brutis animadversa, quibus pro cibo exhibita fuit, nos de ejus actione faciet comparate certiores.

D. Postremo autem mutationes in homine sano inductæ, et effectus in morbis peculiaribus observati, sententiam meam de medica actione confirmabunt.

In plantis omnibus quæ in *familia naturali* rubiacearum Jussieu, cui pertinet *Cophoea arabica* Linnæi, recensentur, observatione duce, tum tonicà vis, tum adstringens et organum aliquod excitans deprehenditur. Rubia tinctorum, Asperula cynanche (quod sanare anginam credebatur), variæ China-Chinæ species, plurimæ Ipecacuanhæ varietates, Gumma-kino, totidem sunt plantæ earumque fructus actionis enunciatæ.

Seminum Cophoeæ analysim chemicam plerique instituerunt. Clarissimi viri Cadet-Gassicourt, Rubiquet, et Pelletier parvam *olei volatilis* concreti quantitatem seminibus ipsis inesse viderunt, aliquid *gummi* vel *mucilaginis*, *albuminam*, principium *amarum* quod tunc virescit cum albuminæ aut fixo alkali misceatur, substantiam insuper *oleo-resinoidem* coloratam et acrem, et aliam quæ in crystallos abit acubus sericis similes, maxima azoti copia refertos, et quæ *Cophoeina* dicitur.

Torrefactio autem principia alia a cophoea evolvit: derivatur hinc *tanninum*, et quoddam àcidum a Cadet-Gassicourt pro *acido gallico* habitum, et ab aliis *acidum caphicum* dictum. *Aroma* et sapor cophoeæ intensior fit pro gradu torrefactionis.

Videamus nunc quanam ratione semina eorumque principia, vel cumulatim vel seorsim considerata, hominem afficiant.

Neminem fere puto, qui ignoret *olea volatilia* substantias esse quammaxime excitantes atque stimulantes, eaque certa dosi administrata stomachi sympathias exsuscitare, unde secundarii effectus, variabiles juxta peculiarem hominis cui porriguntur constitutionem, deriventur.

Quinam dubitare potest de nutriente *mucilaginis* et gummi facultate? quæ duo proinde nulla in hominis ventriculo phœnomena producere valent, nisi quæ a nimia eorum dosi oriri possunt, quin vitales motus perturbentur, si fides iis est adhibenda qui hujusmodi substantiarum effectus diligenter sunt prosequuti.

Albumina vegetantium albuminæ animali affinis substantia est, a qua nomen habuit. Ob hanc similitudinem, quum textubus, quibus apponitur, heterogenea non sit, facile organicam formam suscipit; idest cum liquoribus animalium miscetur quin mutationes in iis cieat, sicuti de mucilagine vel gummo fieri enunciatum est. Cum ergo nutricias tantum proprietates possideat, jure substantia nutriens omnino censetur.

Extractivum vel *principium amarum* vegetabilium impressionem in organa exercet, quæ textum roborat ejusque tonum atque energiam conservat augetque: actio ejus mitis, haud aspera, nec violens est.

Quum substantia *oleo-resinoides* oleorum simul resinarumque sit particeps, proprietatibus utrique communibus præstat; quare actione pollet ciendi fibram viventem quotiescumque in ejus activitatis sphæram mittatur. Olea vel substantiæ hydrogenatæ dum cum exuberanti

oxygenii quantitate junguntur naturam mutant, tuncque characteres ostendunt, qui resinæ puræ et præsertim camphoræ proprii sunt; id quod facillime demonstratur cum oleum quodcumque aliquo temporis intervallo communis aeris actioni exponatur, sive si acidum oleo jungatur; tunc enim acidi oxygenium cum olei hydrogenio citissime copulatur. Quapropter haud difficile est suspicari substantiam oleo-resinoidem in grano cophoeæ ab oleo volatili procedere cum quo in analysi aeris oxygenium conjunctum fuerit, vel oxygenium ipsud a quopiam alio elemento cophoeæ derivarit. Quomodocumque vero res se habeat, actio ejus in fibram animalem naturam non mutat, et jugiter resinæ et camphoræ analoga serbatur.

Cophoeina ad naturam *scyllitinæ* atque *tannini* accedit, iisdemque pollet physico-chemicis proprietatibus, teste clariss. Chenevix; ideoque systemati vasorum absorbentium firmando, renumque actioni augendæ potissimum confert. Hoc unum principium fortasse in causa est cur urinæ secretio in iis augeatur, qui cruda cophoeæ semina in deliciis habent. Alii quoque cophoeinæ actionem dicunt illi haud absimilem esse, quam chinæ alkali præsefert, in febribus videlicet intermittentibus vincendis, quod repetitis indiget atque accuratioribus observationibus.

Tanninum, acidum cophoicum, atque principium *aromaticum*, quæ a seminum ustione producuntur, iisdem cophoeæ crudæ principiis accepta referri debent, quorum elementa calorici actione varie inter se copulata et commixta corpus constituunt a crudis seminibus prorsus diversum. Si cophoeina decomponatur tanninum, atque acidum cophoicum præbet; oleum æthereum cum substantia oleo-resinoide, aroma vel principium aromaticum producunt.

Antequam substantia quælibet, præsertim si nunquam tentata, sub forma medicamenti homini exibeatur, solent medici, jure optimo, effectùs illius, utilitatem vel damnum in brutis animantibus experiri; et præterquamquod id semper in more fuit, nostra quoque ætate Nysterus, Magendie, Orphila, Edwards aliique de plurium substantiarum efficacia vel pernicie methodo eadem certiores facti sunt.

De efficacia cophoeæ nec non de ejus effectu in brutis animalibus jam diximus superius, cum de capella loquuti sumus, quæ planta cophoeæ pasta est (1).

Effectus vero pharmaci uniuscujusque summopere attendendi ii sunt, qui in homine vel sano vel ægrotante observantur, quique in dubium nequeunt revocari cum illustrium medicorum experientia et favore fulciantur. Seminibus cophoeæ crudæ nunquam, quod sciam, sanus homo usus est, adeoque de eorum efficacitate, aut peculiari vi nihil addere possumus; idem tamen dici nequit, si morbos consideremus, in quibus optimo cum effectu semina ipsa fuerunt adhibita. Granum cophoeæ crudum D. Grindel in Russia (2), Thomson in Britannia et Zu-

(1) Aliæ belluæ de plantarum virtutibus homines docuere. Plurima hujusmodi exempla prostant in Historia medicinæ.

(2) Grindel decoctione, extracto aquoso et pulvere cophoeæ usus est. Pulverem exhibuit ad dosim xij granorum omni trihorio, animadvertens generatim quantitatem duarum unciarum pulveris cophoeæ valere ad quamcumque febrim vincendam, etsi aliis medicaminibus antiperiodicis visa fuit obsistere. Varia fuit dosis tam decoctionis quam extracti; id vero sibi semper medici proposuerunt, ut ratio haberetur cophoeæ in pulverem tantummodo redactæ. Ut decoctio rite paretur oportet ut uncia granorum cophoeæ crudæ contusorum coquatur in libris tribus aquæ, usque dum reliquum

lattus in Cephalonia ad febres intermittentes debellandas utiliter suppeditarunt. Quamobrem seminibus cophoeæ crudæ virtutem tribuendam censemus, quæ peruviani corticis propria est; et revera si pari in ægrotantem hominem actione pollent, conjicere fas est eodem modo sanum afficere. Quod si Tommasinii asseclæ chinæ corticem ex-stimulanti vi præditum considerarunt, si a cophoeæ granis intermittentem febrim fugari experientia docet, ergo peruviani corticis vis cophoeæ seminibus communis dicenda est.

Silentio libenter prætereo quæ de plantæ hujus utilitate et damno ab auctoribus proposita fuerunt cum immodicum decoctionis usum considerarunt; hoc enim ad Hygienem potius quam ad pharmacologiam pertinet. Si vero ab institutis observationibus generales cophoeæ effectus in animalem œconomiam determinare velimus, constat procul dubio ab usu cophoeæ accelerari digestionem, functiones intellectuales excitari, unde infusio cophoeæ *potio intellectualis* a quibusdam appellata fuit (1); expeditiores ea artuum motus reddit, excitatque in facie et in oculis hilaritatem illam, quæ a nuncio fausti eventus proferri solet.

sit libræ unius. Coletur deinceps decoctio, et ejus uncia vel duo ægro exhibeatur omni bihorio.

(1) Cum clariss. Voltaire nosset cophoeæ potionem ad somnum arcendum potissimum valere cumque Lexico Gallicæ Academiæ perficiundo totus incumberet, dicunt noctu quovis horæ quadrante decoctionis illius poculum sumpsisse, ita ut inflammatorio morbo tandem occubuit, quem nimio cophoeæ usui tribuerunt.

Juvenis matrona, ait Zimmermannus, quæ Leibnitii ingenio stylum Voltaire consociavit, cum cophoeæ potu fuisset destituta, ostreæ se mentem habere fatebatur.

Ab immodico decoctionis usu anxietatem, gravitationis constrictionisque sensum in præcordiis; sæpe cordis palpitationem, tremores in musculis extremitatum, aliquam in visu perturbationem, pervigilium pertinax, irritationem arteriarum fere febrilem, excretionum augmentum gigni visum fuit, unde non tam cutanea transpiratio et urina, verum bilis ipsa copiosius secernitur. Præter generales perturbationes indicatas, in iis qui magis quam par est cophoea utuntur, alia locum habent symptomata, quæ individualia dici possunt, a pluribus medicis sedulisque observatoribus notata. Clarissimus Linnæus ex. gr. affert copiosam cophoeæ quantitatem quotidie et longo temporis spatio ingestam evolvere cephalalgiam, vertiginem sæpe sæpiusque peculiaris exanthematis in vultu expulsionem. Et quoad exanthemata ab immodico usu cophoeæ aliquando evoluta, notandum est celeberr. Krieger febres observasse scarlatinosas, miliares, biliosas ab immodico usu cophoeæ derivatas. Percival paralysim non raro a cophoeæ abusu procedentem indicat. Refert Zimmermann pluries contigisse ab abusu cophoeæ in mulieribus menstruum profluvium nimium abundasse et ultra consuetum ætatis tempus fuisse productum. Quod sane Prosper Alpinus noster in Ægyptiis mulieribus jam animadverterat, cum videlicet scripserit eas largam cophoeæ potionem sumere cum menstrua deficiunt. Docet Willis usum, abusumque cophoeæ fluxum hœmorrhoidalem augere immo in aliis, qui hujusmodi purgatione non afficiuntur, provocare, et corporis maciem proferre, et in viris genitalem vim enervare. Medici tamen quamplurimi ab usu nimio cophoeæ varios morbos gigni, hypocondriasim nempe, anorexiam, dyspepsiam, atque in mu-

lieribus leuchorream, et metrorrhagiam observarunt. Hinc usum abusumque cophoeæ hominibus temperamento sanguineo, bilioso, irritabili atque ad inflammationem proclivi præditis, nec non macris et plethoricis esse detrimento conjiciendum est.

Neotericorum medicorum præcipuas nunc addam observationes, quibus constat in nervosis et hyposthenicis morbis cophoeam tuto posse suppeditari. Et primo quidem infusio illa utilissima fuit in affectionibus iis omnibus, quas coma, sopor, stupiditas, torporque muscularis comitantur. In pluribus apoplexiæ nervosæ exemplis optime cophoea propinata est; immo officio remedii prophilactici in hac morbosa affectione nerveo-cerebrali fungi aliquando potest. Cophoea nervorum actionem excitat in vasa, quæ exinde vividiori motu micant, adeoque sanguinem citius impellunt; qua de causa utilis decoctio illa in viscerum abdominalium obstructionibus. Nonnulli pariter morbi nervosi ab usu cophoeæ vel multo imminuti vel penitus dissipati sunt. Cardialgia, cephalalgia spasmodica, epilexia, hysterismus, chorea, palpitatio, et singultus in cophoea idoneum therapeuticum subsidium sæpe invenerunt; et in primis asthma spasmodicum, quoniam Musgrave, Pringle, Percival, et Floyer observationes de hoc morbo cophoeæ usu debellato nobis exhibuerunt; quemadmodum tussis convulsiva infantilis præsidiis cæteris obsistens inter morbos a cophoea pervictos adnumeranda est, cum clarissim. Schengel infusionem cophoeæ subustæ, æque ac decoctionem et extractum cophoeæ crudæ contra eam tussim utilem esse recentius observaverit. Potissimum Audon ad febres intermittentes fugandas vel in forma pulveris, extracti, vel

decoctionis seminum crudorum, eodem pharmaco optimo cum evento usus est. Et apud nos D.r Mannajoni, D.r Tonelli, atque præstantissimus Rubini mirificos effectus contra intermittentes febres ab hoc remedio se consequutos fuisse fatentur. Quum hodiernis temporibus pro certo fere habeamus periodicos morbos ab aliqua nervorum perturbatione persæpe suffulci, an absurdum erit conjicere ideo cophoeam in febrium periodicarum curatione medicorum voto respondere, quia nerveum systema afficit præcipue, potius quam plantæ ipsi proprietates tribuere, quæ pharmacorum propriae sunt amaro-adstringentium? Neque repugno si quis et pharmacis memoratis et cophoeæ communem indolem adscribat.

Haud ita pridem clar. Ambri cophoeæ vapores coctæ chronicis ophthalmiis utiles expertus est, quam utilitatem in semetipso primum obtinuit, cum ophthalmia laboraret, quæ nulli antea remedio cessit: dein hanc vaporum efficaciam in aliis quoque confirmavit, quotiescumque tamen phlogosis antea imminuta fuerit, et ophthalmia ad chronicum statum pervenerit.

Neque secundariæ, ut ita dicam, qualitates cophoeæ sunt denegandæ, quas inter eam commemorare sufficiat, qua ut antidotum adhibemus contra virosas et narcoticas quasdam substantias, ita ut tuto et cum utilitate cophoea utimur cum quibusdam venenatis hominibus opitulemur. Unde suspicio nostra confirmatur, videlicet cophoeam peculiari modo cæteris pharmacis haud communi organicam hominum fibram afficere. Ecquid? Nonne certum probatumque est cophoeæ decoctionem antagonistica vi irritos reddidisse effectus hyosciami, lactucæ virosæ, cicutæ majoris, atropæ belladonnæ, digi-

talis, aconiti napelli, acidi hydrocyanici, aliarumque substantiarum, quæ narcotica facultate aliis eminenter præstant?

Ex quibus omnibus videtur jure nos veterum medicorum sententiam tueri, qui *exstimulantem* vim cophoeæ seminibus adscripserunt; quam porro doctrinam neoterici quoque amplexi sunt qui illorum vestigiis insistentes cophoeam in therapeutica exstimulantium classe adnumerarunt. Et re quidem vera ab Auctorum celeberrimorum observationibus, quas in medium protuli, clare elucescit cophoeæ effectus exstimulantes semper aut excitamenti, ut dicunt, fuisse, eamque encephalon et nervos præsertim affecisse, fere ac si languentem horum vim sopitosque motus resipisceret, quemadmodum de plurium remediorum ad exstimulantes-nervinos pertinentium actione medici docent. Et quoniam ab aucta cerebri et nervorum vi vasorum quoque sanguineorum excrescit intentio, hinc iis omnibus facultatibus cophoeam præditam esse dicendum est, quæ exstimulantium pharmacorum propriæ sunt.

Exhibetur cophoea sub forma *pulveris*, *extracti aquosi*, *decoctionis* atque *infusionis*. Medicus, ut effectum salutarem obtineat, pulverem cæteris præparationibus præfert, ejusque grana duodecim omni trihorio ægris suppeditat, quæ dosis usque ad sexaginta grana potest augeri. Extractum cophoeæ aquosum obtinetur maceratione seminum (quæ cruda sint et ruditer contusa) in aqua aliquot dierum spatio: dein ope philtri ab aqua separatur ac lento igne evaporatur, ut aqua ad extracti formam densetur. Extracti illius drachma dimidia ab initio solvitur in apto quodam liquore, dosis deinceps

augetur usque ad drachmas duas, quæ epicratice ægroto in die porriguntur. Decoctionis et infusionis comparandæ ratio eadem est ac illa quæ vel coquendis vel per infusionem parandis cæteris pharmacis. Torrefacta semina et sub forma pulveris, extracti, decoctionis et infusionis æque adhibentur. Infusionem in deliciis præsertim habemus, et ut sapida sit, odora, et nervos illiciat, requiritur ut ustorum seminum uncia in tenuem pulverem redacta rite coquatur in octo unciis aquæ.

An observatione, ratiocinatione atque experientia suffultus metam attigerim quam mihi ipsi proposueram, ut videlicet cophoeam pharmacologi methodo quoad naturam, medici experientia quoad usum et effectum considerarem, alii dijudicent. Reprehendet fortasse aut mihi succensendum esse aliquis credet, quod a neotericorum quorundam placitis nonnihil diverterim; at Præceptorum meorum doctrinas sequutus, hypothesibus et deliramentis numquam plus me tributurum fore profiteor, quam res et veritas ipsa concedat.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Pleura una eademque est membrana: falso distinguitur in costalem et pulmonalem.

II.

Methodus botanices Jussieu medico utilior cæteris.

III.

Kermes minerale est sulphuretum antimonii minime vero hydrosulphas.

IV.

Plerique infantum morbi ex ventre procedunt.

V.

Tæniæ in corpore humano per generationem equivocam *efformantur.*

VI.

Artritidis causa in primis digestionis viis.

VII.

Introductio mercurii in ventriculum, dum curatur syphilis, tempore digestionis ciborum est adhibenda.

VIII.

In cura syphilidis diæta lauta et nutriens adhibenda.

IX.

In castratione, et semicastratione methodus Bertrandi conjugi debet cum methodo Zelleri.

X.

Medicus ægrum fallere potest, dum ipsi simulat assentiri.

XI.

In cura chirurgica cateractæ scleronixys arbitror præferenda.